

6. Expositis diuersis quaestiones supra propositas soluendi modis, inquirendum restat, quisnam ex illis legitimus sit, reique, cui accommodatur, ad amissim respondeat. In iudicio autem de formulis istis formando non parum adiuuabimur hoc axioma, a sensu communi dictato, sortem, quae in praesenti elocanda est, vt acquiratur pensio annua a in perpetuum percipienda, esse $\frac{a}{r}$, tantam quippe, vt vsurae, quas quotannis parit, exacte aequentur pensioni ipsi. Si enim pensio vsuras annuas excederet, fors paullatim absumeretur, nec pensio in perpetuum durare posset, sin vero pensio ab vsuris superaretur, fors in dies cresceret, nec fructum propositum atque exoptatum praestaret. Formula ergo, quae summam fortis elocatae p pensione annua a determinatam exhibet, vel pretium pensionis annuae in pecunia numerata sistit, ita comparata sit oportet, vt statuto annorum numero n infinite magno, ex ea prodeat $p = \frac{a}{r}$. Verum quidem est, hanc notam solam non sufficere, vt de bonitate alicuius formulae certi esse possimus, quia in praesenti negotio innumerae exhiberi queunt formulae, illi conditioni satisfaciens, nec vero idcirco exactae *); nihilo secius tamen certo pronunciare possumus, formulam, quae caractere isto desituitur, non posse esse genuinam

7. Vt iam formulae supra traditae ad hanc normam exigantur, quoniam ex (I) est,

$$p = \frac{2a}{\left(\frac{n+1}{n}\right)r + \frac{2}{n}}$$

statuto $n = \infty$, fit $p = \frac{2a}{r}$, qui valor duplo maior est quam verus. Quamobrem formula (I), et quae ei adiungitur (II), reici debent.

Similiter quum ex formula (III) sit

$$p = \frac{na \left(\left(\frac{n-1}{n} \right) r + \frac{2}{n} \right)}{2r + \frac{2}{n}}$$

*) Talis est, quae inferius (art. 13.) occurret formula $p = \frac{a}{r} \left(1 - \frac{1}{1+nr} \right)$, nec non illa, quam SIMPSONVS in Algebra formulae (III) loco proposuit, $p = \frac{(2+(n-1)r)na}{2+2nr+n(n-1)r^2}$ a me supra in enumeratione formularum discutiendarum praetermissa, quum SIMPSONVS ipse hypothesein, cui formula superstructa est, *arbitrariam* esse profiteatur.